



ORATIO CORAMI NVICTISSIMO
SIGISMUNDO REGE POLONIAE

&c. in conuentu Caesaris & trium regum, no-
mine Vniuersitatis, Viennae Austriae per Ioa-
chimum Vadiarū
Poetam
tum ha-
bita, cum
carmine
in laudē
Regis an-
cuiusdem
quoqua-
dam de
nito con-
uentu cō-
tinentur.

Ioannes Dantiscus.

Sum regina auium, peto sidera, tuta trifulco
Fulmine, & Arctoi fida ministra Iouis.

157

AD INVICTISSIMUM SIGISMUNDUM

Poloniae Regem Magnum ducē Lithuaniae

Russiae Prussiaeque &c. Dñm & here.

dem. Ioannis Dantisci, pro Ioa-

chimo Vadiano Poeta

Laureato carmē.

Ex Nunc
Hungarico

QVIS magno tantos, & tot cum Caesare reges,
 Conuenisse unquam uidit in orbe prius:
 Cuncta reuoluamus quae nunc, retroque fuerut
 Tempora, conuentus nullibi talis erat
 Ante nec ad Priami, magnā nec Agenoris urbem,
 Quin etiam nunquam Martis in urbe fuit.
 Finibus a Latiis Caesar, Rex inclyte ab oris
 Tu Scythicis aderas, uictor uterque grauis.
 Pannoniae senior cum Nato Rege suaque
 Cum Nata, qua nil pulchrius orbis habet.
 Hanc dedit, accepit rursusque a Caesare neptem,
 Quae regi tenero sponsa futura data est.
 Aurea quae tuerant olim, sic inde, redibunt
 Saecula, Gradui cedit & inde furor.
 Quod faustum felixque fiet, Pax undique laeta
 Incuciet reliquis hostibus acta metum.
 Sic te, sicque tuos uenisse Borysthene ab ipso
 Non piget Austriaci pingua ad arua, soli
 Hic ubi sublimi nunc uertice surgit, & altum
 Nubibus impressit pulchra Vienna caput.
 Cuius es e cunctis aliis gratissimus hospes,
 Caesaris ut Vates hic tibi testis adest.

Qui te quo potuit nuper suscepit honore,
 Fecit & in Laudes tot bona uerba tuas.
 Nunc etiam docto te tollit Carmine ad astra,
 Plura tibi, sint haec dummodo grata dabit.
 Scurra leuis, Mimus, Tubicen, Cytharedus, & omnes
 Ad te qui ueniunt munera larga ferunt.
 Clementi Vatem ne sit graue uisere uultu,
 Aeternum cuius Carmina docta manent.

INCIPIIT ORATIO.

QUANPRIMUM aduentū tuum, certiore fa-
 ma nunciante, didicimus Princeps illustrissime,
 ac inuicte Poloniae Rex SIGISMUNDE, tan-
 ta expectatio omnium pariter animos corripuit, ut sacrae
 Maiestatis tuae praesentia, longum istud tui desiderium,
 quod amplissima bonitate tua in tot hominum animos de-
 fluxit pascere, & pro parte faciare uelle uiderent. Quā-
 uis enim haec inaudita & omnibus saeculis memoranda no-
 uitas, summā omnibus admirationem pepererat, quae prae-
 sente MAXIMILIANO Imperatore inuicte, & magna
 nimo, tres coronatos Reges eosque potentissimos ad se in
 hanc Urbem suam uenturos, deque rebus maximis & gra-
 uissimis tractaturos esse intelligebamus. Semper tamen
 illud in nostris uotis primum erat, ut Poloniae Regem il-
 lum tam nobilem, tam potentem, & totam orientalis Chri-
 stianitatis oram, cum VLADISLAO serenissimo Hun-
 gariae Rege, fratre, moderantem quae primū cōtueremur,
 oculosque nostros in illud locupletissimum, regum, rerūque
 gestarum, & consumatae nobilitatis exemplar conuertere

mus Adeo firma regibus uirtute fama paritur, Tametsi rerum momenta sincera iudicio rationis consecrantibus, uirtus ipsa cum his quæ ex ea proficiscuntur in omnium mortalium ordine digna ueneratione uideri debeat, in his tamé maxime omnium amabilis, illustrisq; esse solet, qui cum impune inter homines mali esse possent propterea quod in corū manibus, gentiū, terrarumq; arbitriū collocatum est, boni tamé esse malunt, & uirtutū suarum frugem, non tam in suam gloriam, quam in subditorum suorum utilitatem & salutē conuertere. In quorum numero te esse Christianissime Rex, cum et ante, longe lateq; uolante fama accepissemus, & iam nūc post exoptatissimū tuum in hanc Urbem nostram aduentum, corā conspiceremur, testari præsentia sua, Gymnasiarcha magnificus, ac præcellens atq; famigeratū Gymnasiū nostrum corā, quoq; dignum celsuit, quāti, ob præcellentissimā generosi sanguinis nobilitatem, ob regni tui qd̄ indies magis auges amplitudinem, ob incredibilem in te Regalium uirtutum fidem & sinceritatem, estimandus faciendusq; fores. Ut enim potissima solum estimentur, tantā copia earū rerum quæ cæteris regibus tecū minime cōmunes sunt, sese mihi cogitanti offert, ut in ipso meo laudum tuarum studio, merito addubitare uidear, An a militari peritia & ea gloria, quam tibi fere peculiarē, armorum administratione, & tot uictoriarum, tot triumphorum accessione comparasti, an poties a singulari prudentia, magnanimitate, iusticia, liberalitate, clemētia, fide, hisq; aliis uirtutib⁹ (ut interim potentiam, genus, fortunam, splendorē, magnificentiaq; tuā intermittam) quibus bello et pace clarus ex illis exordiū summere cōmodius possim. In tanta enim

maximarū rerū serie, ubi omnia præstātia, omnia illustria & laude cūprimis digna sunt, quid deligat potissimū, aut cui uerba applicet, qui tuarum regē præco esse constituit, non facile discernet, Quod si cuipiā omnia complecti animus foret, non ille iam orationē, sed ad posteros trāsmitteudam opus moliretur. Quo circa hoc mihi uel ab initio contendū erat, ut in conceptorū uerborum breuitatē, & ieiunā orationis tenuē excursus, faciliē a te ueniā cōsequeretur. Plura equidē dici & tpsis uetat ratio, & amplissimorū negotiorum tuorū cura nō permiittit. Quod igitur apes solent, id mihi agēdum esse hoc in loco aniaduerto, ut scilicet per arbuta lucētissimis uirtutū tuarum gemis, & odoratis totius uitæ tuæ floribus, consita, ita sedulus transtuolet, ut ex immensa succi & saporis multitudine, quæ mihi sapidissima uisa fuerint, summam decerpam, Primum omnium inuicēissime & Christianissime Rex, quo stemate, & qua natalium claritudine, felix istud regnum tuū descendat, non ignoramus. Omnia quocunq; animū conuertimus & regia, & longa regum serie, & clarissimis gestis insignia sunt, Siue a Boleslao primo et uetustissimo Poloniae rege, Siue a VLadislao tuæ maiestatis auo potius initium sumimus. Hic enī per singularē Christianæ religionis amorem contra Tartaros, Roxolanos, & Prutenos fortissime et cōstātissime pugnans, non tā regni sui amplitudini q̄ fidei nostræ icolumitati, id quod res habet, consuluisse dicitur, nec unquā in sanguinē Christianū, nisi sūmis iniuriis prouocatus, imo nō sine summo mærore cōactum, arma torfisse, Id quod patruus tuus VLadislaus cum patri successisset, sūmo studio amulatus est, in quo postea cum tāta fidei, prudētiæ & fortitudinis suæ fama

increbuisse, hoc memoria dignū inigne fuit, quod ex cō-
 mēdatissima regni Poloniae administratione, ad regia Hū-
 gariae scepra uocatus, tanta perseverantia fortissimos fi-
 dei nostrae & p̄fidissimos hostes Turcas armis insecutus
 est, ut fatis non habuerit, eos abactos a confinibus fuisse,
 nisi proprio cruore in sui regni limitibus fuso, & amore in
 fidem suā, & sempiternū i aduersos odium uiriliter occū-
 bendo testatus esset. Similis in Diuo Casimiro, parente
 tuo, uis & magnanimitas insignis fuit, qui tamē prater fe-
 licem regni sui administrationē, & summa illa, quibus re-
 ges extolluntur ornāmēta, non paruam sempiternae me-
 moriae partem, hoc ipso mihi cōsecutus esse uidet, quod
 ex nobilissima, & e Ducibus Austriae prognata Regina,
 ALBETI olim regis filia, & VLADISLAI Hungariae &
 Bohemiae Regis, sorore, tot praecclaros, ac fere singulos
 regis diadematis insignitos filios ordine genuit. Qua
 in re, si sobolem & genealogiam respicimus, nulla ampli-
 or parētibus felicitas accidere poterat, quid enī diuinius?
 quid maiori admiratione dignius? quā tot regū parentes
 esse, qui per mortaliū cētus, perq; maximorū & amplis-
 simorū regnorum administrationē, summa iusticia, & inte-
 gritate, immortalis Dei prouidentia imitentur. O felicē
 illum, & generosissimū uterum, cui dono Dei datum fuit,
 ut tot illustrissimos Principes in rerum humanarū utilita-
 tem, ederet. Comendatur a fide dignis scriptoribus Lam-
 pido Lacedemonia illustris sane foemina, quod regis filia,
 regis coniūx, & mater regis fuerit. Rarū hoc ipsum qui-
 dem est, ideoq; merito memoratum. Caeterum, nobilissi-
 mae parentis tuae ELYSABETH felicitatem in hac re pen-
 sitantibus, ne conferendum quidem indetur. Haec enim

ALBERTI regis filia, VLADISLAI regis soror, CASI-
 MIRI regis coniūx, & sex illustriū regū mater fuit, ex q-
 bus quattuor coronati, IOANNES ALBERTUS scilicet &
 ALEXANDER fratres tui, iam nunc in caelestiu Principum
 aeternā pacem & uictoriā asciti. Tu autē tertius cū Diuo
 VLADISLAO Hungariae rege fratre, qui uiui & inco-
 lumes, regias coronas sepiternis merita laudis titulis ge-
 ritis, FRIDERICUS e fratribus quitus, maturimus & reli-
 giosissimus Praesul, eius, ut puto gratia sese in Cardinaliū
 collegiū, ab Alexandro vi. Pon. maximo ascribi passus
 est, ut & hac quoq; semita, qua uiri maximi & nobilissimi
 principes, ad reipublicae sacrosanctae gubernacula cehū-
 tur, principes uestri generis illustres haberetis. Quid CA-
 SIMIRUS? quo piaculo hūc caelestē principē praterieros?
 in cuius amore, Deus optimus maximus, quā gratus sibi &
 acceptus uester sanguis esset mortalibus indicare uoluit,
 postq; enim ppetuo cōlibatu, uitā castissimā duxit, nihilq;
 habuit prius, quā fidem q̄ abstinentiā et iusticiā colere, ea-
 tandē uitae sanctitate decessit, ut in beatorū numerum re-
 latus, uniuersam Lithuaniam, miraculorū suorum uarietate
 & magnitudine, in sui uenerationē & cultū pellexerit. Ta-
 ceo libens, eiusdē ELYZABETH, Diuae parentis tuae in filiarū
 pari numero editarū, praecclara fecūditate memoriā, ne-
 mo enī est q̄ nesciat, qui principes e nuptis nati sint, q̄ san-
 ctitatis argumēta e uirginibus p̄dierit. Ad fratres redeo
 inter quos FRIDERICUS spiritale sectā ita illustrauit ut post
 se uēturis praesidibus, q̄les esse deberent, exēplū reliquit.
 CASIMIRUS cōlibatu suo & p̄clamatissima sanctitate id
 cōsecutus est, ad qd̄ oīes quidē tendim⁹ pauci p̄uenimus
 ARMORUM uero tractatio, ut dixi, & admirabilis in re militari

peritia cū in IOANNE ALBERTO & Alexandro frequē-
tissime memoria Principibus tum in te summo principe,
inq; frat̄a tuo VLADISLAO Pannoniæ rege, quantū
ornamēti uiriumq; susceperit, nō obscurū est. Hunc qui-
dem tanti fecit potētissimæ & amplissimæ gentis cōlen-
sus, ut summa omnium spe summaq; fiducia in Hunga-
riæ regnū uocatus petitusq; fuerit, quo testimonio maius
suarū uirtutū accessioni contingere non potuisset. Te ue-
ro Rex inuicte, adeo tui diligūt, adeo prosequuntur, ut si
alio in regno habenis præfles regis, curaturi tamē & la-
boraturi essent, quo in suū restitueris, quanta enī pruden-
tia & æquitate omnia dispenses, didicerunt. Quāta man-
suetudine, clāmētia, humanitate, affabilitate, atq; animi
moderatione tuis apud te in omni negotiorū genere locū
facias, experti sunt. Quāta seueritate, & grauitate in eos
animaduertas, qui uel domi, uel militiae ius phasq; contē-
nentes, aut æquissimis legibus tuis, aut publicæ fidei sin-
ceritati quoquo modo cōtroueniunt, cū semp alias intel-
lexerunt, tū hodie intelligunt maxime, quum cōtra hosti-
les turmas arma suscitās, in quorum administratione, qui
tibi triumphorū successus sint, quæ et quā magno ex ho-
ste petita uictoriæ, non hi melius nobis, q; extra amplissi-
mi regni tui limites agimus, compertū habent. Quæ enī
fortitudinis ratio amplior esse illa posset, quæ summis in
periculis uersata, omnē impetum, indefesso robore, reuel-
lit: nec semel, sed semper uictrix euadit. Multum interest
cum quo quis hoste, quibusue in locis bellum gerat. Istud
quidē asseruero, multo digniorem gloriā, apud iustos ar-
bitros Cæsarem Dictatorem consecutum esse in Galliis
subactis, quā ex tota Asia deuicta, Magnū Pompeium,

Huic enim facile erat luxu fractum militem profligare,
illi difficillimum, rigido sub cælo ferocem & longo armo
rū usu assuetum Gallū retundere, Quemadmodū maior
Epaminūda clarissimo Thebanorū duci, ex Spartanorū
fusa acie gloria creuit q̄ si uel Persas fudisset, uel Medos,
hi enī ab illis anteuicti fuerant, Tu fortissimis, et supra hu-
manæ naturæ mansuetudinē ferocibus hostibus, ad iuga
prope Ryp hæa, & rigentē Arcton, armorū, rapinarū, &
syluestris uitæ asperitate assuetis, tanta copiarū tuarū, fe-
licitate obuiā factus es, ut illi ipsi, quid in te uenerandū sit
iam nunc ingenti dispendio suo didicerint, nec imerito, Iu-
stū enim est horū fortunas periclitari, qui ad bene sentien-
dū de optimo et prudētissimo principe, armis cōpelli, quā
cōsilio induci malūt, Quæ enī de te nō, pclamata uirtus?
aut quod iusti ueriq; regis officiū, in omni regni tui admini-
stratione prætermisū? Sunt reges plerūq; supbi, prima-
ces, & infesti his quibus maxime amici esse deberēt, quorū
insolentia cōtigere solet, ut nec pax, nec sui ueneratio, nec
omnino reipublicæ, & cōmunis incolumitatis ratio stare
queat, qui & Tyrannidē isti exercēt potius q̄ amorē, in cu-
ius bonitate, nisi ille qui regnat, his quibus præest deuin-
ctus sit, satius multo foret regnū rege carere, quā a rege
opprimi, Omnis enī prudentis, & gloriosi ministerii ratio
ita amoris & beneuolentiæ fundamentis innititur, ut sine
his esse haud quāq; possit, Tu ciuitatem tuam, hoc est,
florētissimum Sarmatiæ regnū, aduersa fortuna tentatū
erigis, secunda uero floridum conseruas, nec ulla in re tuæ
sacræ maiestati maius studium est, quam ut præter com-
munis utilitatis rationem, iustis bellis ampliōrē illis quos
amas regni ditionem efficias, Non habet penes te locum

animi torpentis desidia, non hebetis ingenii aut Mineruæ
 cassæ ignauia, cum omnem curam, studium, omnemq;
 diligentiam adhibeas, ut omnibus in rebus administrâdis,
 iusticia, prudentia, & sedulitate cæteris antecellas. Quæ
 res circumspectissimum animû tuum, istuc iduxit, ut post
 grauissimâ & diuturnâ cû Moscho bella gesta, Postquâ
 illa tibi per orbē propagata uictoria, parta fuit, Pacis &
 cõcordiæ gratia, ad VLADISLAVM fratrem Hungariæ
 regem, libens magno cû equitatu ascēderis, & Diui MA
 XIMILIANI Impatoris Augusti aduentû, sũma quadã
 animâ lacritate expectaueris, nihil tuæ sacræ maiestati po
 tius futurû esse existimãs, quam si post tam insignē uicto
 riã, cûm eo principe rem ageres, cuius arbitrio, iustam or
 bis partem gubernari cognoscimus, Quo tuo consilio, nõ
 tã tibi inuicte Rex, quã aliis maximis & potentissimis
 principibus, laus, fama, & utilitas accessit, qbus tandē cõ
 tigit ut tot regû aduentû in suû emolumentû deflecterēt,
 imo si dixerõ potius, religionis Christianæ saluti & incre
 mēto, tuæ præfetiæ occasione, consultû fuisse, nõ inepte
 dixerim. Postquã enī Pofonii esse te, tuûq; fratrem VLA
 dislaum, cû liberis LVDOVICO probatissimæ indolis
 iuuenē, ac ppter ea rege teneris annis coronato, cûq; AN
 NA speciosissima regina, morã trahere, Cæsar accepit,
 nihil habuit potius, quam ut desiderio uestro, suoq; simul
 satis faceret & propositis in commune bonû consiliis ne
 quaq; deesset. Qui postquã pridie, spaciosum in campum
 lectica, prouectus, utrûq; summo gaudio excepisset, copi
 amq; fecisset omnibus uestris uultus, amorisq; & bene
 uolentiæ suæ, in hac sua ornatissima urbe sua secû esse uo
 luit, In qua, post magnificentissimû introitû uestrum, cui

sacræ tuæ maiestatis dignitas, non parû ornamenti, equi
 tatus peditatusq; multitudine, & auri argentiq; & omni
 farii ornatus splēdore, attulit, post regalia cõiunia & spo
 ciosissimos ludos, i Augustissima huius ciuitatis æde, spon
 salibus pactis, & institutis denuo præter ueterē necessitu
 dinē uestrã matrimonii, firmam, inuiolabilē & ppetuam
 concordia, in regnorû uestrorum & imperii salutē, ac toti
 us religionis nostræ incoluntatē & incrementû, in macu
 lata fide interueniente, pacti estis. Nos certe felicē illû &
 fastis demandandum diē existimamus, quo MARIAM
 Castiliæ Reginã, MAXIMILIANI Impatoris PATris
 Patriæ neptem iuctis manibus in ipso Cæsar's sinu despo
 sari LVDOVICO, tuo ex fratre Nepoti uidimus, AN
 NAM uero reginam in ipsas sacri IMPeratoris ulnas, te
 præfete deduci, & illã perpetuo plausu dignã concordia
 uestrã, omnium concentu proclamari. Quandoquidē, no
 bis data est, ppendendi uel ex uniuersa Europa, diuersæ fa
 ctiõis hostis occasio, Seu Tartarû ordimur, seu Moschû
 siue eû qui maxime cõmuni nostrû saluti infestus est Tur
 cam. Ab occasu enī, Sarracenorû immanitas Hispaniæ
 regû uictrici fortitudine, indiuersum littus Mauritanæ,
 abacta est. Ab ortu, Cæsar's auspiciis per Illiryçû et Dal
 maticû, Vestris uero p Hûgariã, Poloniam, & Lithuaniã
 uincēdã, amplius & in uniuersum exterminadã, supersũt,
 malefida & crudeles subinde gentes, Quarum potentia
 quæ orientalis imperii desidia, adeo increuerat, uestra stã
 te concordia, facile diluetur, si modõ sit certe debet, ec
 clesiasticæ ditionis potentia, uestris cõsiliis adiumento fu
 tura est, quanq; in hac bellorum alea, nemo illis qui arma
 retractabunt, plus periculi accepturus est, Te Duce Rex

Christianissime, ad Tanais ripas & Meotis ac Ponti lit-
 ra, confestæ crucis autoritas propagabitur, Duce fratre
 VLADISLAO, Dacia respiscet & totus citra Danu-
 bium excursus ponti feris exutus gentibus salutaris fidei
 mansuetudinem recipiet, Cæsaris uictoriæ, ab Dalmatia
 & Illyrico, in Epirum, Macedoniamq; prouehentur, Vbi
 castris & exercitibus coniunctis, Tota Mysia, tota Thra-
 cia, secundum Bosphori, Propontidis, & Hellesponti lit-
 tora, adusq; Strimonē, supraq; per oppositū Adriæ, Ma-
 cedoniæ litus in totius Aegæi excursū, nostra esse poterit
 Quod si robori uestro, Hispani, Galli, Helueticii, & Italia
 in tam pio & Deo immortalī debito, conatu accesserint,
 quid obesse posset, quo minus, terra mariq; armis obri-
 tentibus, Thessalia, Hellas tota, tota Peloponesus, cum
 Ambracia, & reliquis nostræ continentis terris, nostra fie-
 ret: Satis profecto superq; satis esset, si malefida Thur-
 carum & Sarracenorum gēs, his saltem agris potiretur,
 in quibus tam lata olim & frequens fidei professio uersa
 ta est, nec in Europa, multo, ut uidetur Christianæ eccle-
 siæ, dedecore & emacerante credentiū præcordia dolore
 sustineretur, quod futurum esse Rex inuicte, maxime om-
 nium, per hunc sacrum conuentum uestrum, perq; hanc
 Diuinam concordiam speramus, in uobis enim solis suc-
 cessus & uictoriæ in hac re momentum locatum est, In te
 uero, ut fortissimo & prudentissimo Principe, regnorum
 tuorū indubitata salus, in cuius præsentia, nihil mihi ma-
 gis conandum est, quā ut intelligas inclitū Gymnasium
 Viennense, tuæ sacræ maiestati, gratulari, de fortuna, de
 Potentia, deq; ista cum maximo ac potentissimo Christi-
 anæ reipublicæ moderatore Cæs. MAXIMILIANO,

amicitia, & (quod nos solemus cū primis obserua-
 re) beneuolentissimo in omnes studiosos animo, qui
 ueluti pisces ad limpidissimū uiuarium ad te conflu-
 ere solent, quorum eruditione illud tibi contingeret,
 quod aliis principibus uiris qui literarum amantes
 fuere, contigit, ut earum rerum quæ a te gestæ sunt,
 magnitudo, adamantinis litterarum & ingeniorum
 monumētis demandata, ad longam, & si stabit mū-
 dus, sempiternam posterorum memoriam proueni-
 at, Id quod indubie & Gymnasilii nostri uiri eruditi
 aliquando molientur, quanquā in celeberrimo regni
 tui loco inclitū & frequentissimū doctorum homi-
 num, Lycæum tuorum stipendiorum incredibili lar-
 gitate, exornes, & conserues, Nos tamen, quod no-
 strum est, omni opera, studio, diligentia conabimur,
 ut sacræ maiestatis tuæ nomen, famamq; & cælo
 dignam gloriam ubiq; sedulo astruamus.

DIXI.

EIVSDEM Ioachimi Vadiani, ad inuictissimum
Regem SIGISMVNDVM, Carmen cu-
ius prima uersuum litteræ et ultima
corundem in syllabas et dicti-
ones collectæ hoc disti-
chon faciunt.

Principe te perpes regni o SISMVNde manebit,
Nomen & æternum retinet iam Sarmata laudem.

VIENNA LOQVITVR.

Prima illa est, prima illa dies qua cernere nume N
Rex SISMunde tuum mihi contigit, illa lapill O
Illa dies niueo signetur, qua mihi rege M
Noscere ab Arctoo uenientem longius ax E
Contigit, haud digna es tot regib? Austria si no N
I ngenuo mecum officio plausuq; uerer E
P rincipis Aetherei faciem, quem Cæsar ut audi T
E minus ad nostræ celerem confinia terr AE
T endere, progressum sponte in sua regna recepi T
E t retinet, meritoq; illum dignatur honor E
P ar Sismunde, tibi regni moderamine frate R
E sfulgens, superansq; alios, ut sidera Tita N
R egni Pannoniæ primum decus addidit un A
P ergusenti claro tibi qui de sanguine prole M
E n sese accinxit socium, ne pacta moretu R
S æpe olim tentata, iterataq; fœdera sæp E
R egnorum uictrix pariter uos gloria tolli T
E t pariter cultus fidei, quo, sola parat I

G ratia par potuit, pansumq; in tempora nome N
N on alium te maiorem mihi fata uider E
I n tanta regum serie, Procerumq; dederun T
O mnia nanq; tibi superi tribuere benign I
S eu quis uirtutem, seu quis compensat auit A
I nsigne hoc de stirpe decus, seu colligit una M
S ternendi ratione uiam subiti hostis, & illa S
M artis opes, Scythicis & cognita gentibus arm A
V iue diu felix Princepes, te sospite fertu R
N on uano mansuram illis rumore salute M
D ebent qui uitæ tibi commoda, & omnia tut A
E xtremum ad pelagus, reparata in pace perran T
M oschorum deuicta iacent tot cladibus arm A
A rma quibus fuerat pax intercepta, quibus ni L
N on concessurum Tanais decreuerat or A
E regione tamen Regali gesta parat V
B ulla diem fracti pensarunt fœderis, Id quo D
I mmenfam Rex magne tibi, qui regna iugar E
T anta potes uictor, peperit per sæcula fama M

FINIS.

Impressit Viennæ Nonis Augusti Anno.
M.D.XV. Hieronymus Vietor qui
se Principi inuicto hac sua sedu-
litate cōmendari cupit.